

Le texte proposé ici a, pour source, deux éditions : celle établie par Petro Scrivero et imprimée, à Leyde, en 1619, chez Jacob Marcus et celle, plus tardive, parue, dans la même ville, chez Samuel et Johannes Luchtmans.

JOANNIS NICOLAI SECUNDI SYLVARUM LIBER.

REGINAE PECUNIAE REGIA.

S\_1      v.1      Est via perplexis per longa meatibus antra,  
                  2      regia gemmatis qua panditur aurea valvis  
                  3      ingentis Divae, paribus quae cum Jove summo  
                  4      obtinet auspiciis secti moderamina mundi.  
                  5      Si qua fides rebus dubiis, jacet orbe sub illo,  
                  6      qua Tagus auriferas volvit rubicondus arenas,  
                  7      nidorem fumosque exhalans divitis aulae  
                  8      in terras, Auguste, tuas, ditissime regum  
                  9      Carole, telluri pacatae sidus amicum ;  
                  10      inque urbem tractusque tuos, amplissime Praesul  
                  11      Tavera, o decus Hesperiae, cui cincta recurvis  
                  12      moenia gurgitibus ripisque nitentibus auro  
                  13      submitit venerans nuper sublime Toletum,  
                  14      divinumque senem praefecit ditibus aris ;  
                  15      maxima quem dominum suspirat Roma, Tagoque  
                  16      jam pridem Tibris liventibus invidet undis,  
                  17      non illuc Phoebus flammis rutilantibus intrat,  
                  18      nec cum prima vehit sopito lumina mundo,  
                  19      nec cum devexo premit arva liquentia curru  
                  20      Tethyos undisonae, nec cum flagrantibus horis  
                  21      aethere stat medio. Quid enim fulgentia late  
                  22      perpetuis auri radiis, et iaspide fulvo  
                  23      atria, nativesque faces jaculante pyropo

24 Cynthius immisso nequidquam lumine lustret ?  
 25 Regina in mediis magnae penetralibus aulae  
 26 aurea tota sedet solio sublimis in aureo,  
 27 diffundens radiantem omni de corpore flammam ;  
 28 qualis erit species, solido si cudat ab auro  
 29 intonsi statuam Phoebi Vulcanus, et ora  
 30 flammigeris cingat radiis, et in igne repostae  
 31 educat subito candentis pondera massae.  
 32 Haec est illa, cui famulatur maximus orbis,  
 33 diva potens rerum, domitrixque Pecunia fati,  
 34 telluris magnae Plutique sacerrima proles.  
 35 Cujus adorati petierunt saepe tyranni  
 36 foedera, saepe suas spes damnavere repulsi,  
 37 ex quo Pellaei juvenis temerarius ardor,  
 38 (credere si fas est, nec fallit cana vetustas)  
 39 magnanimae tentavit herae violare pudorem.  
 40 Tempore nam ex illo tacitis nova regna sub antris  
 41 instituit, petiitque piae penetralia matris ;  
 42 tergeminamque domum munimine clausit aheni,  
 43 septa procul labyrinthearum ambage viarum.  
 44 Prima quidem teritur concursu semita denso,  
 45 virque viro, pede pes urgetur, et omnis eodem  
 46 turba ruit properans juvenumque, senumque, virumque.  
 47 Antra sonant plausu gradientum, dura gemiscit  
 48 et subsidit humus repetito saucia passu.  
 49 Non tam multa solo bifidis vestigia punctis  
 50 servat arenoso, ditis quae mille coloni  
 51 laeta greges via balantes in pascua mittit  
 52 sole novo, et totidem saturos in ovilia cogit,  
 53 cum super Hesperiam lux inclinata recumbit.  
 54 At postquam in tenebras ventum est, et in aspera saxa,  
 55 implicitasque vias, haeret mentisque speique  
 56 orba cohors, pars magna retro indignata refertur,  
 57 pars magnis enixa animis obdurat, iterque  
 58 rumppit anhelans, urgens contra fatumque deosque.  
 59 Mox defecta malis nigro tabescit in antro  
 60 emoriens, et congestis iter obstruit artum  
 61 corporibus ; pauci, nati melioribus astris,  
 62 optatos tetigere locos, aulaque recepti  
 63 ad lumen stupuere novum, clausique tenebris  
 64 tam longis oculi vix admisere nitorem  
 65 insolitum, ingentem, late efflagrante metallo,  
 66 usque adeo, ut multis nebula lux illa perenni  
 67 obruerit fractos jucundi luminis orbes,  
 68 heu, frustra ignavis manibus gemmas, ebur, ostrum,  
 69 auratumque solum dubio pede tentaturis,  
 70 nec formosa Deae visuris ora serena.  
 71 Ante fores opus ex auro memorabile sculptum est,  
 72 auro opus immixtum fulvo viridique smaragdo  
 73 aurea dimidia fulgent exstantia parte  
 74 signa, at planities viridi exaequata smaragdo est.  
 75 Ignotae posuere manus ; sedet ordine primo  
 76 alma parens, aperitque sinum pulcherrima Tellus  
 77 silvisque fluviisque, et floribus interpictum,  
 78 dives opum Cereris, gemmarum dives Iacchi,  
 79 dives et Hesperidum silvis, passimque coruscis

80 incustodita pendentibus arbore pomis.  
81 Nec non et fulvo demonstrans vimine ramum,  
82 infernae Junonis opes, quae Trojus heros  
83 dona ferens Hecatae manes penetravit ad imos,  
84 liberaque ad superos iterum vestigia vertit.  
85 Tellurem magno circumsonat aequore Nereus,  
86 et centum liquidae Nereo genitore sorores,  
87 hae caput attollunt, hae mergunt gurgite cano,  
88 pars stringunt madidos adverso sole capillos,  
89 pars ducunt choreas, et candida brachia quassant  
90 in numerum, candent fulvis vada caerula spumis.  
91 Omnibus at late vasti de finibus orbis  
92 turbatos maris in fluctus aquilonibus atris  
93 flumina labuntur pellucidior metallo.  
94 Ante alios liquido Pactolus Lydius igne  
95 fulminat, ignito Tagus effervescit et Hermus  
96 gurgite, non raris distincti flumen arenis,  
97 sed puro per culta auro splendentia fusi.  
98 Non aliter quam cum fulvos Aetnea per antra  
99 Mulciber effudit rivos fornace reclusa,  
100 cum nova sollicito properaret tela Tonanti,  
101 vasta Giganteos disturbatura labores.  
102 Stat juxta fulgens auro Berecynthius heros,  
103 auriculis asini nondum insignitus acutis ;  
104 qualis erat, manibus cum se tentaverat ipse  
105 aurificis, donumque Dei damnasset iniquum,  
106 inclusus nimium proprio jam totus in auro.  
107 Ille tamen quondam sacro se in lumine versans,  
108 diluit auctoris damnosum munere lucrum.  
109 At manus artificis tali modo sculpsit in auro  
110 docta Midam, nullis quod aquis mollescat, ut illic  
111 aeternum stolidus spectetur imagine digna.  
112 Stat quoque nunc oculis etiam formidine plenis,  
113 vix bene sopitum credens recubare Draconem,  
114 vellere Phryxio rutilans Pagasaeus Iason.  
115 Tertius hic etiam, sed tonge clarior, adstat  
116 nubila qui rapidis perfringit hiantia flammis,  
117 attonitas terrens animas reboante tonitru :  
118 longe illi modo fulmen abest, regalia longe  
119 sceptrum jacent, vultusque Dei, nec credere posses  
120 esse Jovem, credi ni vellent omnia vates,  
121 imperiumque suum nullis includere metis  
122 monstrosus didicisset Amor, cadit aethere ab alto  
123 Jupiter, indomito mentem liquefactus ab aestu,  
124 perque vias intentatas, auroque parentem ,  
125 custodesque auro fallens, auroque puellam  
126 in gremium Danaes flavo descendit in imbre,  
127 et mollem dominae instillat lascivus amorem.  
128 Haec, ubi regificis celebrat solemnia ludis,  
129 praefigit tria signa suis regina triumphis.  
130 Illam autem tollentem animos, atque alta tuentem,  
131 aulai in medio et sceptrum regale tenentem  
132 circumstant variae dextra laevaue figurae,  
133 diversorum gens operum, mirabile visu.  
134 Hinc furibunda quatit rigidam Bellona bipennem  
135 avectis dives spoliis, et Martius horror

136 per fera castra fremit, captaeque fit urbis imago.  
 137 Arma, tubae, lituique sonant, et tympana rauca,  
 138 tinnituque fragor densus miscetur acuto.  
 139 At parte ex alia nitido placidissima vultu  
 140 pax sedet, aureolum spicis evincta capillum,  
 141 Palladiaque gerens felicem ex arbore ramum.  
 142 E gremio Bacchique liquor, variique coloris  
 143 poma fluunt, Cererisque fluunt uberrima dona ;  
 144 omnia quae postquam terra tetigere parentem,  
 145 (admiranda cano) croceum durantur in aurum.  
 146 Fortuna ante alios magnum sibi vindicat illic  
 147 imperium, regnique tenet communia sceptra,  
 148 instabilemque globum gemmis ornavit et auro ;  
 149 proximaque accubuit dominae, quam Gratia circum,  
 150 ventosusque Favor, fallax et Opinio vulgi,  
 151 elatisque superciliis vultuque tumentis  
 152 incedens, caelumque oculis et inania captans,  
 153 ducit inauratam vesana Superbia pompam,  
 154 laeta opibus, formaque et adulatrice caterva.  
 155 Fortunam contra posita est, et lumine claro  
 156 adspicit indignantem, et despicit aemula Virtus.  
 157 Ingenium solers, indefessique Labores  
 158 adsistunt, celebri quos ordine mille sequuntur  
 159 Artes, humanae solacia dulcia vitae.  
 160 Proxima septa satellitio regumque ducumque  
 161 stat pia Religio, cultus pertaesa priores,  
 162 barbamque, tritamque togam, lacerasque lacernas,  
 163 et peram, et, Cynicae gentis monumenta, bacillum,  
 164 pro quibus excultos amplexa est mitra capillos,  
 165 mitra micans auro, pellucidulisque lapillis,  
 166 et picturatis collo jacet infula filis  
 167 demissa ex humeris, pectusque et brachia et imos  
 168 palla premit talos auro gravis intertexto.  
 169 Hic leges etiam sanctae, et veneranda Senatus  
 170 decreta antiqui (quis credere possit et illud ?)  
 171 Ante pedes dominae flexa cervice recumbunt ;  
 172 proque levi magnae nutu Rectricis, in omnes  
 173 vertunt se facies, et lusu Protea vincunt  
 174 mirifico, ridente Dea, et tollente cachinnos  
 175 contemptrice sacri juris legumque Rapina,  
 176 effera quae laeva princeps in parte resedit,  
 177 auratam chlamydem nigro perfusa cruore.  
 178 Hic Furta, Insidiaeque latent Fraudesque Dolique,  
 179 squalida Avaritiae circum praecordia matris.  
 180 Omnibus his nigra caput est in nube sepultum,  
 181 scilicet ut celent vulpini dedecus oris,  
 182 exiguos oculos, rostrique petacis acumen.  
 183 Nec procul hinc, tabulis loculoque onerata tumentis,  
 184 aurivoros impellit equos, curruque volucris  
 185 praecipitata, rapit celeres Usura Kalendas.  
 186 Nec Libitina suos non hic quoque repperit usus,  
 187 attollitque rogos, et testamenta resignat.  
 188 At circum auratasque trabes, aurataque tecta,  
 189 aureaque insomnes circum laquearia Curae  
 190 stridentes agitant pennas examine longo.  
 191 Qualiter, ut fama est, Stygiae per inania ripae

192 palantes volitant animae, quas aspera fata,  
 193 indeplorato sparsis in funere membris,  
 194 sedibus exclusere suis et honore sepulcri.  
 195 Nec minus interea Risus, Lususque Jocique,  
 196 dulcesque Illecebrae, lactantes nuda papillas,  
 197 nuda genu, Cyprioque madens a rore Voluptas  
 198 porticibus currunt longis : Juvenumque puellis  
 199 mixta ruit series, et mutua gaudia jungunt.  
 200 Ipse suis Citherea praeest pulcherrima sacris,  
 201 et puer arcitenens operosa ludit in aula,  
 202 saepe choros juvenum taeda petulante lacesens,  
 203 saepe puellarum succendens pectora flammis.  
 204 Spicula quin etiam dominam molitus in ipsam est  
 205 saepe proterva ferox, et in auro condidit aurum.  
 206 Hac tamen in sola fertur damnasse caducos  
 207 saepe puer plorans arcus, obtusaque fregit  
 208 tela genu, illisitque solo, pedibusque tenellis  
 209 calcavit, frustraue Venus solata dolentem est.  
 210 Nam proprio, mirum, Regina indulget amori,  
 211 ac facies juvenum pictas exosa, seniles  
 212 diligit amplexus, et frigida basia captat  
 213 victorum podagra lapidosum corpus, et aevi  
 214 emensi longis ambagibus incurvorum ;  
 215 fessa quibus prono subnitens vita bacillo  
 216 ultima declivis tetigit confinia metae.  
 217 Pulsa procul thalamis maeret formosa juvenus,  
 218 purpureas signata genas lanugine prima.  
 219 Non illos madidi myrrha redolente capilli,  
 220 lucida non tereti distincta monilia collo,  
 221 ebria non Tyrio commendat murice palla,  
 222 tinnulaque arguto resonantia pollice fila  
 223 Phoebeae citharae, cantusque et docta choreis  
 224 tibia saltandis, et melle fluentia verba.  
 225 Si tamen est horum quemquam dignata cubili  
 226 diva suo, felicem illum super omnia, felix  
 227 si tamen esse cupit, naturaue mitis in illo est :  
 228 illi Diva potens secreta e aede revulsum  
 229 ignotum donat argenti pondus et auri,  
 230 exemptum curis, purum et sine labe metallum,  
 231 quod recreet maestos animos, et turbida mentis  
 232 nubila discutiat, et proclinata juventae  
 233 tempora florentis longos extendat in annos ;  
 234 unde favor surgatque hominum, surgatque deorum,  
 235 et laeti juvenis felicia facta sequatur  
 236 gratia multa comes, cumque altis fama triumphis.  
 237 At vero numero ex omni, quem maxima servant  
 238 atria, conspicitur vates vix unus et alter :  
 239 atque illi longe prius abjecere poetae  
 240 squalentem vafri faciem, crinesque tiara  
 241 laurigeros, vel puniceo texere galero,  
 242 mentitaue Deam taciti sub imagine fallunt.  
 243 O vatum gens infelix, frustraue profani  
 244 contemptrix populi, frustra nutrita sub antris  
 245 Pieriis, frustra choreis admissa Dearum,  
 246 lucorum roseis in vallibus antiquorum,  
 247 si vobis infesta manet Dea maxima, cujus

248 concussus sceptro terrae tremit orbis, et omnis  
 249 regia turbatae mugit procul Amphitrites !  
 250 Ipse ego, roriferae per blanda sicientia noctis,  
 251 ductus in illustrem longis anfractibus aulam,  
 252 aut vidi, aut vidisse Deam per somnia rebar.  
 253 Mox avidis tentabam oculis in imagine blanda  
 254 haerere, et, si somnus erat, vaga numina somni  
 255 orabam, volucres alio ne verteret alas,  
 256 neve quis, optabam, me compellaret amicus  
 257 sopitum, strepituve pedum turbaret iniquo.  
 258 Omnia conabar frustra : vix viderat illic,  
 259 et tactum ramo iussit discedere vatem  
 260 regina, imperioque minas adjecit et iram.  
 261 Nec mora : cum domina, cum cunctis regia gemmis,  
 262 cumque satellitio, cum pondere divitis auri,  
 263 par levibus fumis, tenues evasit in auras ;  
 264 noctisque ante oculos facies inamoena remansit.

EXPOSTULATIO CUM NEPTUNO IN DILUVIO QUOD IN PATRIA CONTIGIT A. MDXXX.

S\_2 v.1 Salsipotens magni frater Neptune Tonantis,  
 2 undivagos late campos, et livida regna  
 3 qui data sorte tenes, vitrea dominator in aula,  
 4 quid tantum, pater alme, paras ? An saecula Pyrrhae, et  
 5 Deucalioneas iterum exspectabimus undas ?  
 6 Et quaerendus erit vacuae novus incola terrae ?  
 7 Proh scelus, obruitur tumido Zelandia ponto,  
 8 amplaque fertilibus spoliatur Flandria terris,  
 9 Hollandosque premunt nihilo leviora colonos.  
 10 Aggeribus spes nulla manet, prosternitur undis  
 11 dives opum tellus malefidis credita glebis.  
 12 Tecta, domus, et mixta suis armenta colonis,  
 13 cumque pecus pastore fluit, cum pignore mater.  
 14 Atque aliquis quem sors fugientem exemit aquae vi  
 15 servatum truculenta fami, vel ab arbore celsa,  
 16 monte vel aereo spectat seu conjugis ora  
 17 pallida, seu natos, seu si quid carius illis,  
 18 sub pedibus fluitare suis, moriturque videndo.  
 19 Jamque stat aequa mari tellus discrimine nullo,  
 20 apparentque vago turres in gurgite passim,  
 21 quas velut ignotas formidet navita cautes,  
 22 quasque colant pisces Veneris procul alite pulsa,  
 23 et quae quadrupedemque equitem celeremque per arvom  
 24 sunt loca passa rotam fluitantibus invia nautis,  
 25 ferre ratem discunt, et vela patentia ventis ;  
 26 quaque stetit crescens nuper felicibus arvis  
 27 ardua nunc illac loca per natalia quercus  
 28 it, volucrique secat, non sic sibi cognita cursu.  
 29 Sicne, pater Neptune, decet ? Sicne ira deorum  
 30 sollicitat quoque saeva animos ? Quae causa furoris ?  
 31 Fare, quid innocuam potuisti mergere gentem ?  
 32 Anne tuos toties mortales visere fines  
 33 non pateris, spolioque maris ditescere vasti ?  
 34 Inque tibi cessum fatali sorte tridentem

35 pridem terrestres jus usurpare tyrannos ?  
 36 At poteras pelago merita nece perdere nantes,  
 37 mortalesque semel regno prohibere liquenti.  
 38 Quid miseri meruere viri, qui vomere terras  
 39 exercent patrias, infames crimine nullo ?  
 40 Imperio ut, violente, tuo furibundus aquai  
 41 impetus incautos vita spoliaret et agris ?  
 42 Aut spoliaret agris, vitamque relinqueret aegram,  
 43 per lacrimas et per suspiria traducendam ?  
 44 Quos mihi nunc videor nequidquam multa querentes  
 45 cernere, et, heu, surdo jactantes talia ponto :  
 46 o nimium felicem illum, quicumque colonus  
 47 cum pecore atque casa, durique laboribus aevi  
 48 piscibus esca natat, liquido bene funere mersus,  
 49 longa nec annosae timet infortunia vitae.  
 50 Nos patriis exuti opibus, rerum omnium egeni,  
 51 ignota exsilia, et longinquas quaerere sedes,  
 52 vesanamque famem cogemur ferre, sed anne  
 53 omnibus ereptis, dirae violentia sortis  
 54 eripuit quoque posse mori ? Moriamur et ultro  
 55 praecipites animas pelago jactemus avaro.  
 56 O varios hominum casus, o caeca futuri  
 57 pectora ! Quos modo florentes, opibusque superbos  
 58 viderat exoriens, prostratos vidit Apollo  
 59 Oceano tincturus equos. Nunc ite, secundis  
 60 fidite mortales rebus, sortique rotanti.  
 61 Non potuit quisquam de tot, quos munere pavit  
 62 vasta suo tellus, umquam prece, ture vel auro  
 63 sic sibi devinctos animos habuisse deorum,  
 64 ut sibi venturam promittere quiverit horam.

IN VICISSITUDINEM RERUM INSTABILEMQUE FORTUNAM.

S\_3 v.1 Omnibus horis  
 2 nemo beatus.  
 3 Lubrica sors est,  
 4 nescia certa  
 5 sede morari.  
 6 Cum stat in imo,  
 7 tendit in altum ;  
 8 cum stat in alto,  
 9 tendit ad imum.  
 10 Phoebe, remotas  
 11 pronus in undas  
 12 sidis, et idem  
 13 tramite sueto  
 14 aurea notum  
 15 Plaustra retorques  
 16 gratus ad ortum.  
 17 Per te ubi laetis  
 18 candida terris  
 19 reddita lux est,  
 20 proxima furvis  
 21 torva tenebris  
 22 nox manet aegrum

23 scilicet orbem :  
24 quae simul atque  
25 ingruit, uno  
26 cuncta colore  
27 turbida miscens,  
28 aera, silvas,  
29 flumina, ripas,  
30 praedia, colles,  
31 jam meditatur  
32 ferre soporis  
33 lumina terris,  
34 vecta coruscis  
35 nuntia Phoebi Au-  
36 rora quadrigis.  
37 Bruma ubi nigris  
38 horrida ventis  
39 abstulit omnes  
40 undique flores,  
41 abstulit agris  
42 gramina calvis,  
43 misit iniquas  
44 dira pruinas,  
45 reddidit altis  
46 montibus aequas  
47 grandine valles,  
48 et glaciale  
49 marmore texit  
50 frigida pontum,  
51 dulce redit ver,  
52 et redit aestas  
53 tincta virentes  
54 rore capillos,  
55 cincta caducis  
56 tempora spicis ;  
57 restituitque  
58 flamine molli  
59 gramina campis,  
60 et spoliatis  
61 reddere gaudet  
62 tegmina silvis ;  
63 sedula pictos  
64 ornat apricis  
65 floribus hortos :  
66 scilicet ut sit,  
67 quod fera rursum  
68 perdere possit  
69 bruma revertens.  
70 Cum Zephyri flant,  
71 cumque sereno  
72 turbida movit  
73 nubila caelo  
74 clarus Apollo,  
75 jam Boreas, jam  
76 jamque protervus  
77 Auster, Orionque  
78 imminet udus.



79 Perpetuum nil.  
 80 Cuncta recurrunt  
 81 ordine certo,  
 82 gaudia luctus  
 83 occupat amens,  
 84 seque superbis  
 85 funera miscent  
 86 saeva triumphis.

ECHO.

COLLOQUUNTUR VIATOR ET ECHO.

(Le trait d'union, à l'intérieur d'un vers, indique le changement d'interlocuteur.)

VIATOR

S\_4 v.1 O quae diva cavos colis recessus  
 2 silvarumque regis domos opacas,  
 3 tu, quae de reliquis deabus una  
 4 quas frondesque juvant, juvantque fontes,  
 5 audiris toties, videre numquam :  
 6 dic, quae finis erit mea calori,  
 7 imas qui mihi devorat medullas ?  
 8 Ut, formosa, tuas voravit olim  
 9 superbo e pueri decentis ore,  
 10 in flatum revoluta cum jaceres  
 11 languens umbra, superstitemque sola  
 12 vitam voce brevis teneret aura.  
 13 Dic : nam forte libet meas querelas  
 14 audire, et veteres novare curas.  
 15 Dic, oro, poterit quid impotenti  
 16 seros ponere limites amori ?

ECHO

17 Mori. - Di meliora ! Sicne nobis  
 18 ad canos igitur dies manebunt,  
 19 et canos quoque non dies relinquent  
 20 singultus, lacrimae, gravesque voces ?  
 21 Aut mox abjicienda prima vita est ?

ECHO.

22 Ita est. - At licet ire perque gentes,  
 23 perque undas, ubi nulla me sequatur  
 24 sublatis ex oculis Amoris ala.  
 25 Non illic dominae procul relictas  
 26 mentem sidereae faces perurent.

ECHO.

27 Urent. - Non roseum os genaeque tangent.

ECHO.

28 Argent. - Sed dolor hic levis brevisque,  
29 fomento cito destitutus omni  
30 sese conficiet, negante vel te.

ECHO.

31 Ante vel te. - Adeone amarum amare est ?

ECHO.

32 Mare est. - Hei mihi, quidquid est malorum  
33 admittit medicas amatque curas,  
34 nulla solus amor levatur arte,  
35 non cantu perit, aut perit venenis,  
36 spernit consilium fidele, spernit  
37 quidquid mens bene suada prodit. - Odit.

VIATOR.

38 O ne, ne mihi talium dolorum  
39 sensus ter misero supersit ullus !  
40 Quam mallet media stupere silva,  
41 durae cortice membra tectus orni,  
42 qua Caurus mihi, qua protervus Auster  
43 nequidquam, Boreasque spiritosus  
44 hinc illinc quatiantque vellicentque  
45 amoto querulas dolore frondes !  
46 Aut tecum in liquidas abire voces,  
47 per silvasque volare, perque valles.  
48 Saltem laeta sonare tunc subinde  
49 possem, cum facili fruens amore  
50 felices caneret viator ignes,  
51 nec semper grave diceremus "heu". - Heu !

ORPHEUS. ECLOGA.

S\_5 v.1 Orphea Threicium Lycidas, patrem Orphea vatum,  
2 amissa viduum bis conjuge, sola per antra  
3 maerentem, vocesque trahentem pectore ab imo  
4 ferales, et fracta gravi nemora avia questu  
5 infelix cecinit desertis pastor ab antris,  
6 formosi pecoris, lanaeque oblitus et herbae  
7 surgentis vario per mollia prata colore,  
8 et canis et mulctrae, sed non oblitus amorum,  
9 quos illi, placidis adsueto semper in agris  
10 nympharum tepidis amplexibus indulgere,  
11 moverat, heu, glaucisque oculis flavoque capillo,  
12 astuque fastuque valens urbana Neaera,  
13 intactam Veneris praecellens alba columbam,  
14 et canum Veneris florem, gelidaeque Pyrenes  
15 vicinas candore nives et frigore vincens,

16 et cannis pueri et magno male digna furore.  
 17 Illum deserti montes et frigida saxa,  
 18 montibus et qui desertis gelidisque feroces  
 19 in saxis stabulant ursi, gemuere gementem,  
 20 Getulaeque procul suspiravere leaenae,  
 21 notaque nutarunt intonsae ad carmina quercus,  
 22 annosae quercus, et luctiferae cupressi  
 23 jugentem circumstabant : ast optima mater  
 24 ad tristes excita modos stupuitque sonantem  
 25 Calliope, dixitque : "Meis num forsitan istis  
 26 natus inest silvis ? Et bis remeare sub auras  
 27 evaluit ? Ditemque novo modulamine vicit ?  
 28 Tergeminique canis compescuit ora canendo  
 29 en iterum ?" Nec plura, ruens petit oscula falsi  
 30 infelix nati. Mox spe dejecta, suave  
 31 erubuit ; tamen et vero se jungit et una  
 32 divinam citharam digitis tentavit eburnis,  
 33 maestraque suffecit lacrimas et verba canenti.  
 34 "Ergo cum fugeres juvenem, clarissima conjux,  
 35 vesanum virusque invito adflaret ab ore  
 36 tabificus serpens, non sufficiebat ad Orcum  
 37 ire semel ? Vitamque luis exsolvere fatis  
 38 innocuam ? Aut lacrimas impendi in funere parcas,  
 39 cara, tuo ? Nisi te, nisi te, carissima conjux,  
 40 ipse retorquerem sub iniqui jura tyranni ?  
 41 Letiferis demens oculis luctumque pararem  
 42 ipse alium sine fine mihi ? Me mitior anguis  
 43 ille fuit, diri tantum malus ultor amoris  
 44 ereptam celeri te reddidit ille marito.  
 45 Ipse ego te mihi te rapui, tu flebilis inter  
 46 excidis amplexus ; damnosaque lumina longe  
 47 rapta fugis. Quo dulcis abis ? Jam te negat ipse  
 48 portitor illacrimans iterum transmittere cymba.  
 49 Rex Erebi dolet ipse, dolet regina profundi  
 50 commiserans, legesque infracti conjugis odit :  
 51 quaeque meo primum concussae pectora cantu  
 52 ardentes oculos tenui sparsere liquore  
 53 Eumenidum guttis majoribus ora gravantur.  
 54 Tu vero neque me damnas neque fata remordent  
 55 te tua, nec velles nisi sic adspecta reverti ;  
 56 tota sed in curas viduati conjugis acres  
 57 intendis luctus ; me me in suspiria, me me  
 58 in lacrimas decet ire, animamque efflare nocentem.  
 59 Te nemus Elysium foveat, tibi mollior aura  
 60 consumat lacrimas ; te nullo vulnere tardam  
 61 ad choreas nymphae vocitent, ducantque vagantem  
 62 secure per prata pedem, qua nullus in herba  
 63 anguis odorata liventi sibilat ore.  
 64 Nos vitam in tenebris aegram luctuque trahamus,  
 65 qua non ulla pedes humanos semita ducat.  
 66 Ad glaciale Hebrum deserti in montibus Haemi  
 67 mecum undae, mecum antra gemant ; mea plectra secutae  
 68 ornique piceaeque fleant, et largius aureas  
 69 infami lacrimas diffundat ab arbore Myrrha.  
 70 Phoebe pater, si non falsos mihi narrat amores  
 71 Calliope, sume hanc citharam, mihi tensa remissae

72 deficiunt ad fila manus : tu pollice luctum  
73 elice de fidibus, qualem Peneia Daphne,  
74 cortice tecta novo, trunco exaudivit ab imo,  
75 damnavitque suos nutanti vertice fastus,  
76 qualem, labenti superingeminans Cyparisso,  
77 pro puero ramis lugubribus inclinatus,  
78 oscula fixisti ligno suprema dolenti ;  
79 qualem effundebas funesti in crimina disci,  
80 optima cum tellus, generoso feta cruore,  
81 ad tua purpureum submisit basia florem,  
82 dilectum florem pro dilecto Hyacintho.  
83 Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,  
84 cur me tentantem Stygiae vada vasta paludis  
85 non niger absorpsit violento vortice fluctus ?  
86 Cur me tam mites spectastis Erinnyes ? Et tu  
87 formidatarum custos ignave viarum,  
88 deposita triplicis jejuna gutturis ira,  
89 ad mea ludebas blanda vestigia cauda ?  
90 Vestrum erat hoc raptare caput, membrisque revulsis  
91 per Phlegetontes audacem spargere flammam  
92 artificem ; eluctatus in aera spiritus isset,  
93 cumque umbra tenuis se confudisset amata  
94 Eurydices, tutoque suos vidisset amores.  
95 Heu, quis me citharae tam blandum fila movere,  
96 quis deus edocuit tam molli carmine Ditem  
97 demulcere trucem, serpenticomasque sorores  
98 ad lacrimas urgere novas ? Tunc stridere raucum  
99 debebant, domino non agnoscenda canoro,  
100 stamina, et in medio vox intercepta palato  
101 succidere : heu gravis arte mea mihi luctus inundat.  
102 Mitis eras igitur Pluto, ut crudelior esses ?  
103 Fallacemque meo velares crimine culpam ?  
104 At non te, Siculo nuper de litore curru  
105 praepete cum fugeres, in dulcem vertere praedam  
106 sollicitos oculos vetuisset conscia Mater.  
107 Hei, duras fati leges, semperque caducas  
108 spes hominum pugnante deo ! Qui corda ferarum,  
109 qui domui silices, proprios compescere motus  
110 non valui, occultumque deae Cythereidos ignem.  
111 Ergo pro cara suspiria anhela marita,  
112 pallorem exsanguem, maciem horroremque trementem,  
113 et Furias comites inferna ab sede reduxi ?  
114 Nec potili curas Lethen sopire bibendo ?  
115 Abde coloratos auro, pater, abde jugales  
116 fluctibus Herculeis ; melius nox apta dolori est.  
117 Redde coloratos telluri, redde jugales,  
118 ecce mihi lacrimae noctem fecere dolorque,  
119 turgidaque imbre diem praetexunt lumina denso.  
120 Sic tenerum in silvis maeret Philomela nepotem,  
121 sic soror in tectis natum deplorat hirundo ;  
122 sic gemit arenti viduatus ab arbore turtur ;  
123 sic nondum lacrimis satiata Memnonis umbra  
124 lutea perpetuo stillat Tithonia rore.  
125 Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,  
126 me tecum, me debueras auferre sub umbras  
127 praecipitem : vitam nobis mors illa dedisset.

128 Ipsa Venus junctos vallem duxisset in illam,  
 129 qua ver perpetuis fecundat odoribus arva.  
 130 Ipse puer Veneris, flammata lampada quassans,  
 131 discussisset Amor nebulas Acherontis opaci.  
 132 Nunc noctem simul invisam cum luce dedisti,  
 133 invidiam dux Erebi ; moriar tamen : en mihi laxis  
 134 genua labant nervis, exsanguis serpit in artus  
 135 pallor, et haud multum, memini, distamus ab umbris,  
 136 maesta per ignavam quas volvit cymba paludem,  
 137 squalida pejoris nantes confinia ripae.  
 138 Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,  
 139 bis moriens tecum, Eurydice, bis per Stygia traxti  
 140 hanc animam, tecumque manet pars maxima nostri.  
 141 Corpus inane traho tenui vix mobile vento,  
 142 qualem Thessalicis inmixto carmine succis  
 143 inspirant animam per frigida membra caducam  
 144 monstrifici vates, aut qualia luce carentum  
 145 instabili simulacra virum discurrere motu,  
 146 et tenues miscere sonos, et inania vocum  
 147 murmura solliciti per somnia vana videmus.  
 148 Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,  
 149 Eurydice, quo me fletu tua fata piare,  
 150 quoque jubes gemitu ? Quid me tolerare cruentum ?  
 151 Adspice cum scisso laniatas pectore vestes,  
 152 adspice cum tepido lacrimas certare cruore.  
 153 En tibi, damnamus tenebris haec lumina caecis,  
 154 aeternumque patris jubar interdiciamus illis,  
 155 purpureum jubar, et sub nocte natantia nigra  
 156 cogimus admissi lenta intorpescere poena.  
 157 En tibi, quod nimio furiarum pectus amore  
 158 intempestivo rupit mea gaudia voto,  
 159 femineo numquam posthac ardore calebit.  
 160 Nulla tuum pellex premet importuna cubile,  
 161 Eurydice, nec primaevos avertet amores  
 162 mollibus illecebris Ciconum nurus ulla meorum.  
 163 Plura quidem dicturus erat ; vicina canenti  
 164 Calliope vetuit, Lycidamque amplexa repressit.

DIALOGUS LUCIANI DORIDIS ET GALATEAE, LATINO CARMINE REDDITUS.

S\_6 v.1 Forte deae pelagi ludentes litore curvo  
 2 captabant radios, auree Phoebe, tuos.  
 3 Hic Thetis, hic Melite, Spio, Panopeaque virgo,  
 4 Cymodoce, Doris et Galatea fuit :  
 5 cum Doris ficto Galateam molliter, ore  
 6 risit, et arguto strinxit amara joco.

DORIS.

7 Scilicet egregie tandem formosus amator  
 8 contigit, o felix jam Galatea, tibi !  
 9 Nimirum hic Siculus pastor (proh numina, qualis !)  
 10 deperit, ut passim fertur, amore tui.

## GALATEA,

11 Ne ride. Qualis qualis tibi, Dori, videtur,  
 12 Neptuno tamen est de genitore satus ;  
 13 Neptuno, vitreis late qui praesidet undis,  
 14 Neptuno, a summo qui Jove prima tenet.

## DORIS.

15 Egregium vero, quod sit Neptunia proles ;  
 16 esto, sit altifremi filius ille Jovis.  
 17 Cum tam deformis sit, agrestis et hispidus, et quod  
 18 omnibus est unum turpius unoculus ;  
 19 ab vero genus ad formam prodesse putabas ?  
 20 Hoc tibi deformis nomine pulcher erit !

## GALATEA.

21 Immo nec est deformis, et id quod dicis obesse,  
 22 hoc queat, hoc formam nobilitare viri.  
 23 Quippe quod agrestis, quod et hispidus, (haec tua nam sunt  
 24 crimina, sic libitum est haec vocitare tibi)  
 25 non deformat eum, verum mage, Dori, virile est.  
 26 Crede, decet fortes hispida barba viros.  
 27 Porro oculus media nitidus qui fronte relucet,  
 28 et quem Phoebeae lampadis instar habet  
 29 Ille etiam decet hunc, hoc cernit certius uno,  
 30 quam si vel duo, vel lumina mille forent,

## DORIS.

31 Tu vero mihi jam, Galatea, videris habere hunc  
 32 non tibi amatorem, verum adamare magis ;  
 33 usque adeo laudas, et quae contraria formae  
 34 jam formosa uti sint, atque decora jubes.

## GALATEA.

35 Haud equidem hunc adamo ; tamen ista insignia vestra  
 36 scommata, et insulsos haud queo ferre sales.  
 37 Et plane invidia huc mera vos stimulare videtur,  
 38 quod vos non itidem, ut me, Polyphemus amat ;  
 39 quodque gregem nuper celsa dum pascit in Aetna,  
 40 inter lanigeras conspiciendus oves,  
 41 nosque procul mixtim per litora picta vagantes  
 42 cernit, ubi pedibus prominet Aetna suis,  
 43 vestrum non ullam vel solum adspexit, at ipsa  
 44 visa viro cunctis pulchrior una fui.  
 45 Meque proinde suo dignatus lumine solam est,  
 46 lumine sidereas exsuperante faces.  
 47 Haec ea sunt, haec sunt, quae pectora vestra remordent ;  
 48 hinc illi risus illepidique joci :  
 49 namque haec cuncta docent, me vos praecellere forma,  
 50 meque magis dignam, quam Polyphemus amet.

## DORIS.

51 Scilicet invidiam, quod tu formosa videris  
 52 lusco ! Et pastori quod, Galatea, places !  
 53 Quamquam aliud, quaeso, potuit quidnam ille probare,  
 54 praeter candorem, lactea diva, tuum ?  
 55 Ille placet, quod lac cibus est et caseus illi ;  
 56 quod simile his pulchrum protinus iste putat.  
 57 Tu vero cupis ipsa tuam si noscere formam,  
 58 nec tibi iudicio stulta placere malo,  
 59 pendenti e scopulo, si quando silentibus Austris  
 60 pellucens placidis unda jacebit aquis,  
 61 temet contemplare, precor : dabit unda colorem  
 62 consimilem lacti, consimilemque nivii.  
 63 Atqui nulla quidem facies candore probatur,  
 64 candida purpureis sit nisi tincta notis.

## GALATEA.

65 Atqui ego nacta tamen, quantumvis candida, qualem  
 66 Doris amatorem vellet habere sibi.  
 67 Nullaque de vobis quam vel miretur agaso est,  
 68 vel pastor vel quam portitor ullus amet.  
 69 Atque alia ut taceam, cantat Polyphemus, in omni  
 70 et calami et citharae doctus et arte lyrae.

## DORIS.

71 Mitte haec, diva, precor : cantantem audivimus, in te  
 72 pruriret nuper cum malesanus amans.  
 73 Verum, o sancta Venus, rursus in certamine Phoebum  
 74 excire obstreperus Marsia visus erat.  
 75 Quin ter credideram silvis audire rudentem  
 76 vicinis asinum, ter Polyphemus erat.  
 77 Ipsiusque lyrae corpus jurare volebam  
 78 cervinum nudis ossibus esse caput.  
 79 Cornua nam exstabant cubiti de more recurvi :  
 80 quis putet hic hominem, quis putet esse lyram ?  
 81 Tum vero inductis fidibus speciosus amator,  
 82 nec jungens sinui barbara monstra lyrae,  
 83 nescio quid tandem durum et stridebat agreste,  
 84 observant partes dum lyra voxque suas ;  
 85 sic uti non fuerit de cunctis ulla deabus,  
 86 quae posset risus aut cohibere jocos.  
 87 Quid, quod et ipsa quidem non est dignata boanti  
 88 respondere Echo, garrula nympha licet.  
 89 Credo, deam puduit si forte audita fuisset  
 90 reddere stridentes ridiculosque sonos.  
 91 Quin ulnis ursae catulum formosus amator  
 92 gestabat, lusus deliciasque suas.  
 93 Hirtus erat totus, quo, credo, gratior illi,  
 94 quod similis setis et feritate fuit.  
 95 Quae tibi non istum talem, Galatea, maritum  
 96 invidiat ? Quaeve hunc non velit esse suum ?

## GALATEA.

97 Ergo tuum nobis sit qui formosior, eia,  
98 monstra, et qui melius voce lyraque canat.

## DORIS.

99 Nullum habeo, fateor, nec eo me nomine jacto,  
100 ac si sim multis sollicitata viris,  
101 at vero talem, qualis Polyphemus, amantem,  
102 totus qui saniem, totus ut hircus olet,  
103 quique infelices funesta ad litora pulsos  
104 devorat, hunc habeas, hunc adamesque tibi.  
105 Talia sunt nymphas retulit quae fama marinas  
106 multa per alternas dicta dedisse vices.  
107 Quid jam, quid caecum non posse putamus amorem ;  
108 te quoque formosum si, Polypheme, facit ?

## DIALOGUS LUCIANI POLYPHEMI ET NEPTUNI.

S\_7 v.1 Orbatus caro Polyphemus lumine quondam  
2 dum cuncta in tenebras sensit abisse nigras,  
3 litus, oves, sese, montem, mare, denique flammis,  
4 ipsaque luciflui plaustra corusca Dei,  
5 flebilis, obscura titubans errabat in Aetna,  
6 incusans homines, sidera, fata, deos.  
7 Annosam tardem pinum tellure revellit,  
8 ad mare vicinum qua duce tentat iter.  
9 Jamque propinquat, et id madido pede denique sentit ;  
10 mox oculum liquidis sanguine purgat aquis,  
11 murmura Neptunus cum forte in fluctibus imis  
12 audiit, et moto protulit amne caput.  
13 At vero natum extincto dum lumine cernit,  
14 exclamans genitor litora dira petit ;  
15 protinus agnoscens Polyphemus voce parentem,  
16 sic sua cum gemitu tristia fata refert.

## POLYPHEMUS.

17 O mihi nequidquam pater, o mihi saepe vocate !  
18 Hospite ab infando quae modo damna tuli !  
19 Qui mihi fallacis propinans munera Bacchi,  
20 praeripuit sensus, praeripuitque pedes ;  
21 donec in obscuris posita cervice cavernis  
22 prostratus somno languida membra dedi.  
23 Hic me crudelis vina inter iniqua sepultum  
24 furtim adit, atque oculum, heu, vecte mihi terebrat.

## NEPTUNUS.

25 Quis vero tales potuit qui sumere poenas,  
26 quisve ausus tantum est heu, Polypheme, nefas ?



## POLYPHEMUS.

27 Esse sibi nomen Nemo mihi dicere primum.  
 28 Ast ubi caeruleas nave secabat aquas,  
 29 jamque procul nostris fertur securus ab oris,  
 30 et nullos arcus, spicula nulla timet,  
 31 tum demum insultans ter se jactavit "Ulixem"  
 32 et dedit haec nostris ultima dicta malis :  
 33 "Siccine debueras socios, o perfide Cyclops,  
 34 dentibus imbellis dilacerasse viri ?  
 35 Si neque nos neque mortales, scelerate, timebas,  
 36 debebas superos at metuisse deos ;  
 37 debebas ; metuisse Jovem, qui cuncta videbat,  
 38 praesens hospitibus qui favet usque suis.  
 39 Ergo tibi fluidi putrescet luminis orbis,  
 40 et fiet corvis forsitan esca nigris.  
 41 Sic meruit lusisse Jovem, Neptunie. Nunc i,  
 42 crede tuum quidquam prae Jove posse patrem."  
 43 Talia dum jactat magno temerarius ausu,  
 44 improperatque eadem non semel ille mihi,  
 45 ira subit mentem, partemque cacuminis alti  
 46 avello, extremis ultima tela malis ;  
 47 et cum te, genitor, supplex in vota vocassem,  
 48 ut regeres ventis pondera missa tuis,  
 49 ad sonitum vocis corpusque et brachia torquens,  
 50 mandavi rapidis saxea tela notis.  
 51 Arrectusque diu stabam, post tempora longa  
 52 cum dedit ingentem gleba relapsa sonum,  
 53 et quantum audire e trepidorum voce licebat,  
 54 navem sub tumidas pondus agebat aquas.

## NEPTUNUS.

55 Jam scio quem dicas : nimirum Ithacesius ille est,  
 56 qui modo ab Iliaca navigat urbe domum.  
 57 Sed quinam potuit, quinam hoc est ausus Ulixes,  
 58 jam pridem timidum quem mihi fama refert ?

## POLYPHEMUS.

59 Jam saturis ovibus viridantia prata relinquens,  
 60 ducebam niveum post mea terga gregem ;  
 61 more meoque ibam nota, heu heu, pronus in antra,  
 62 conscia tam miseri non prius antra mali,  
 63 cum subito apparet multorum turba virorum.  
 64 Quid ? nisi divitiis insidiata meis ?  
 65 Hic ego mox aditum, ne quisquam evadere posset,  
 66 claudebam, tacita gaudia mente fovens ;  
 67 namque mihi tales olim servatur in usus  
 68 maxima, non ullis petra movenda viris.  
 69 Inde ornum flammis duram crepitantibus uro,  
 70 Aetna revertenti quam mihi forte dabat.  
 71 Tum vero metuens, tentati et conscia furti  
 72 visa sibi est latebras quaerere turba nocens.  
 73 Corripui quosdam. Nam quidni ? Nempe latrones,  
 74 et data sunt stomacho corpora pauca meo ;

75 quique sibi nostras praedam, Neptune, futuras  
 76 crediderant pecudes, praeda fuere mihi.  
 77 Protinus hic, seu Nemo fuit, seu dirus Ulixes,  
 78 coepit versutos mente agitare dolos.  
 79 Et mihi nigrantis falsa sub imagine vini  
 80 nescio quae misero pharmaca mixta dedit,  
 81 pharmaca grata quidem, fragrantia, dulcia, verum,  
 82 o pater, insidiis pharmaca plena malis.  
 83 Vix summo tetigi labro, et jam cuncta rotabant,  
 84 imaque pars antri visa suprema fuit.  
 85 Quid multis ? Solita spoliatum mente jacebat  
 86 corpus, et exanimis jam mihi visus eram,  
 87 cum volucer Stygiis allapsus somnus ab undis  
 88 percussit ramo tempus utrumque suo.  
 89 Non procul a mulctra viridis mihi forte jacebat  
 90 nuper in exitium clava resecta meum.  
 91 Hanc illi incidunt, minima sibi parte retenta,  
 92 atque acuunt magna sedulitate simul.  
 93 Mox etiam vectem flammae involvere relictas,  
 94 et penitus nobis ignea tela parant.  
 95 Sic illi ignitum multo molimine fustem  
 96 intorquent oculo terque quaterque meo,  
 97 donec inaudito ligni stridore praeusti  
 98 excitus, manibus tela revello meis.  
 99 Sic tibi, care parens, nimirum tempore ab illo  
 100 lumine privatum jam Polyphemon habes.

## NEPTUNUS.

101 O quam Lethaeus penitus tua pectora somnus  
 102 presserat, ut tales dum struit ille dolos,  
 103 dum vectem magno molimine circumvolvit,  
 104 dumque in summo oculi cortice totus erat,  
 105 non vel tum somno fueris turbatus ab alto ?  
 106 Jam tulerat coeptis praemia digna suis.  
 107 Quamquam non video quo pacto evaserit antrum  
 108 impius, et dentes, mi Polypheme, tuos.  
 109 Haud etenim inmanem petram ille removit, opinor,  
 110 quam memini vires exsuperare meas,

## POLYPHEMUS,

111 Ipse ego, seu demens, seu sic mea fata volebant,  
 112 amovi iratis pondera vasta Deis.  
 113 Sic ratus, ut nostris cupiens exire cavernis  
 114 incideret digitis obvia praeda meis,  
 115 Ergo fores juxta manibus venabar apertis,  
 116 sed non auspiciis, Delia magna, tuis.  
 117 Interea pecudes nullo pastore vagantes  
 118 carpere per valles pabula grata sino.  
 119 Sic heu, sic dicens : aries, mea prima voluptas,  
 120 tu subeas domini munia nota tui.

## NEPTUNUS.

121 Mirum, ni pecoris latitans sub vellere denso

122           illusit caeco turba dolosa viro.  
 123       At tu debueras fidos vocitasse sodales,  
 124           quos alios centum litora curva tenent.

## POLYPHEMUS.

125       Id feci, et notis subito clamoribus acta  
 126           venit in auxilium turba parata meum.  
 127       At postquam insidias quisnam struxisset iniquas,  
 128           et cuperent tanti nomina nosse viri,  
 129       atque ego dixissem : "Nemo mihi talia struxit,  
 130           Nemo fuit, Nemo qui mala tanta dedit."  
 131       Correptum insolito miserum rata turba furore,  
 132           illusit nostris insuper ipsa malis ;  
 133       atque abiit, fratremque suum male liquit inultum.  
 134           Nomine sic lusit me, pater, ille suo.  
 135       Et, male prae cunctis quod adhuc praecordia mordet,  
 136           ut tenuit medias jam sceleratus aquas,  
 137       multa mihi impropere illud post cetera dixit :  
 138           "Non te sanabit vel pater ipse tuus."

## NEPTUNUS.

139       Forti animo fac, nate, feras. Ego lumen ademptum  
 140           quamvis non possim restituuisse tibi,  
 141       vel servare tamen pelago, vel perdere nantes,  
 142           arbitrium faxo me penes esse sciat."  
 143       Sic questum quondam natum festiva vetustas  
 144           tradidit, et contra sic retulisse patrem.  
 145       Qui talis, qui tantus erat, qui mersit in alvum  
 146           efferus omnigenum millia multa hominum ;  
 147       qui natus, Neptune, tuus, qui denique centum  
 148           fratribus indomitis saevior unus erat,  
 149       non potuit superare dolos unius Ulixidis,  
 150           Non potuit vires vincere, Bacche, tuas.

\*\*\*\*\*